

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertationes refutatoriae synodalis ab Heinrico Heideggero professore Tigurino adversus sacras

Reding, Augustin

Monasterii Einsidlensis, 1669

Dissertatio X.

[urn:nbn:de:bsz:31-162659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162659)

aliâ quâcumque excellentiâ: A fortiori circa revelationem de Sacello Einsidlensi Divinitus consecrato voce cœlesti publicè, & à summo Pontifice approbatam potest versari fides infusa ac Theologica.

DISSERTATIO X.

An morali ac prudentiali, etiam supernaturali certitudine constare possit, licere cultum Divinum peragere in Sacello Einsidlensi, tanquam Divinitus consecrato?

I. **P**Rudentiâ infusæ, seu Doni Consilij certitudo moralis sive immediatè, sive mediatè reducitur in fidei, vel Intellectûs, seu Sapientiæ & Scientiæ Spiritûs Sancti Donorum veritates, tanquàm prima principia. Hæc autem reductio circa Eucharistiam v. g. adorandam, taliter fit, ut primum principium, seu major in formam syllogisticam redacta, sit veritas realis in Eucharistiâ Christi præsentis, ejusque ad

deò adorabilitatis per fidem Theologiam credita. Exinde sub rationibus ex circumspeditione & consultatione circumstantiarum particulariũ adinventis, per gnoimen, seu synesim, seu virtutes prudentiæ annexas, eatenus fit iudicium de speciebus híc & nunc exhibitis tanquàm rite consecratis, ut istud iudicium subeat locum minoris præmissæ; ex quâ tandem, & illâ majori, seu primo fidei principio infertur prudentialis conclusio de reali sub hiscè speciebus Christi præsentia, e jusque adeò Lætricâ adorabilitate. Sub quâ proinde conclusio (ad quam in animâ fidelium à Spiritu Sancto, cujus operatio nescit tarda molimina, movetur, nullâ opus est morâ, seu labore arduo) læret omnimoda practica de morali, etiam supernaturali Religionis infusæ re-ctitudine. Nam quia adoratio speciebus hiscè Eucharisticis in individuo exhibenda sub illis circumstantijs debitâ cum circumspeditione ponderatis, per

prudentiale iudicium repræsentatur quâ licita, eo ipso fit proportionata ad illam specificam Religionis supernaturalis honestatem moralem *intentionaliter*, ac *representativè*, sive *in actu signato* suscipiendam. Ex hac verò sui ad specificam adorabilitatis patriæ honestatem moralem concrezione *intentionaliter* repræsentatâ provenit, quòd illa adoratio importet intrinsecam cum moralibus specificam Religionis supernaturalis honestatem repræsentantibus principijs commensurationem. Quæ proinde commensuratio, licèt *materialiter* quoad sui cum isto individuo actu concrectionem sit duntaxat probabilis: attamen *formaliter* per rationem principijs moralibus omninò certis regulatam est *secundùm ordinem resolutorium* hoc ipso certa & infallibilis, quòd secundùm formalitatem sui specificativam non nisi in certa, ac *in genere moris* infallibilia principia sit resolvable.

II. Pari igitur ratione dicendum est, quòd

quoddam Christi Domini adorabilitas, Divæque Virginis cultus Hyperdolicus in Sacello Einsidlensi, tanquam Divinitus Deiparæ consecrato habeat practicam certitudinem omninò infallibilem, ac supernaturalem Prudentiæ infusæ propriam. Etenim Christi Domini Latrica adoratio, Divæque Virginis cultus Hyperdolicus in Basilicis Deo, seu Christo, ejusque Matri, consecratis exhibendus, ipsis etiam Reformatis Doctoribus supra *Dissert. præsertim 4 n. 5.* fatētibus, fundatur in veteris Ecclesiæ (secundum eosdem Reformatos Doctores) puræ, & immaculatæ Patribus non nisi veram & orthodoxam in Verbo Dei radicatum doctrinam tradentibus, atque ad eò resolvitur in ipsa fidei Divinæ principia. Atqui omnibus pro Sacelli Einsidlensis Divinæ Consecratione subsistentibus argumentis circumspectè consideratis, reperire licebit, pro hac stare attestationem Sancti Conradi Episcopi, nec non vocem cœlestem publicè

auditam, & in Romano Papæ, ac Imperatoris, Episcoporum, & Principum Conventu deductam, & probatam, indeque latam decisoriâ approbationem, atque hinc secutum septingentorum annorum continuatum fidelium cultum & consensum, atque traditionem miraculis frequentibus Divinitus roboratam. Quæ sanè argumenta non tantum verisimilia, fundare possunt credibilitatis evidentiâ morali naturali certitudine longè superiorem. Ex quibus adeò formari potest iudicium non tantum *formaliter practicè*, sed etiam *materialiter ac speculativè* certum, de Divinâ Sacelli Divinitus Deiparæ dicati consecratione. Hinc ergo Christi Domini adorabilitatis Latricæ, Deiparæque Hyperdulici cultûs in Sacello Einsidleni tanquàm Divinitus consecrato exhibendi honestatè, ac decentiam, sub certitudine morali etiam supernaturali, secundum prudentiæ infusæ rationem eatenus concludere licebit, ut adoratio
Chri-

Christi, & cultus Deiparæ taliter exhibitus sub omnimodâ practicâ certitudine inducat specificam Latriæ & Hyperdulix supernaturalẽ honestatem.

DISSERTATIO XI.

*An Christi Domini sub Sacelli Einsid-
lensis Consecratione asserta apparitio
pugnet cum Verbo Dei?*

I. **H**Eideggerus suæ Synodalis Dissert.
§. 17. taliter argumentatur. Sed
ut pressius agamus, Divinam eam non
fuisse apparitionem, argumento probamus
validissimo, quòd cum Verbo
Dei, quod apud veros Christianos primam
& eminentissimam Authoritatem
habet, adversâ fronte pugnet. Etenim
Petrus Act. 3. v. 21. testatur, oportere
Christum capi cælo usque ad tempus restitu-
tionis omnium. Unde Augustinus in Io-
ann. tract. 30. ait: Donec sæculum finiatur,
sursum est Dominus. Quomodo igitur descendit
Dominus de cælo ad Sacellum
Eremitanum?

E 5

II. Ve-